

Monachis sicut fonebat et cum
telatur spiritualiter ipsa au-
mieres omnes sciente p[ro]cel-
le: puto q[uod] intelligit q[uod] n[on] ad-
dit. Idem alle quidem p[otes]tes gra-
meruerunt. ipsa autem plena
ab angelo salutat. Hec an-
elijah Ordo **B**allue uga yesse
flonda et fructifera maia vir-
go beatissima. de qua vnde ille
et singulis flos et fructus pro-
digio in beatitudinem spiritualium genere eru-
bit: flos suauissimus emittens
odorem: fructus sapidissimus in-
mutans dulcem. flos cuius uoi-
tus expellit mesticiam: fructus
sacrae uenientia dat leticiam
Benedicti uga de radice yesse:
u[er]o uis et flos: q[uod] de tali ra-
dice ascedit. Benedicti arborum
dicto et arboris fructus Tuo er-
go flore me recreas: fructu-
ab omn[is] misericordia me libera: ugo
maya in eternum benedicta. amen
De recepto iohannes baptiste **C**ontra
Wit autem in diebus illis scilicet
in diebus hero-
dis regis indee.
sacerdos quidam
no[n]e sacharias
deinceps abia: et ueror eius no[n]

q[ui]ntu[m] ad obseruacionem ceremonialium
sine heralda. q[ui]ntu[m] ad obseruacionem
iudicialium: q[uod] pacifice se ad proprios
mos habebant. Et non erat illis
filius aptus stilitatem: q[uod] est causa
specialis muliebri. Ex quo apparet
ceptio precursoris miraculosa: q[uod]
non fuit tantum per naturam: sed per
naturam gratia divina adiuta. **C**
Iste herodes de pre ydumeo di-
cendes fuit alienigena: et iam cep-
trum ablatum fuit de iuda: et
ideo tempore adiutorio Christi instabat: q[uod]
iacob patriarcha spiritu prophetico sig-
natum adueniens episcopum predivebat. q[uod] reg-
num uide ad alienigenam translatum
ess dices. Non auferet ceptrum
de iuda et. **C**Et sciendum est his
q[uod] cum moyses unicu[m] instituisse su-
mum sacerdotem. cui mortuo uno per
ordinem succederet: dauid uolebat ap-
plicare cultum domini domini de xxviii fa-
miliis q[uod] descendebat ab aaron in-
stituit viginti quatuor sacerdotes: su-
per quos tunc unus maior erat et su-
mus omnis: q[uod] dicebant principes sac-
dotum. Instituit eciam ut vicissim mi-
nistres per ebdomadam a sabbato
usque ad sabbatum tempore vias siue
singuli castimo[n]e student: nec
interi in domum Christam intraret:
sed in domiciliis circa templum

mitw. 08/15

alte Nr. 352

Calixtus, J. mit

Sammlung mit insges. 67 Disputationen
philosophischen Inhalten, darunter auch
einige mathematische.

Herman. Conringius

c. 15. 15. c. XL.

F. III. 6.

42

DISPUTATIO LOGICA

De
**FORMA AR-
GUMENTATIONVM
SIVE SYLLOGISMORVM TAM
absolutorum & simplicium quām mo-
dalium & hypotheticorum,**

QVAM

A V S P I C E D E O O P T . M A X I M O

S V B P R A E S I D I O

Clarissimi viri Dn.

M. CONRADI HORNEII,

Philosophiæ moralis in incluta acade-
mia IULIA Professoris publici, præ-
ceptoris sui æternū honorandi,
publicè

examinandam proponie

ERICVS GEORGIVS HEDEMAN.

Habebitur a. d. III. K. Jun.

HELMESTADI,

Typis heredum IACOBI LUCI.

ANNO M. DC. XX.

61 F



Nobilissimo Amplissimo & consultissimo
VIRO,

DN. GEORGIO Fischern, Iuris-
consulto eximio, Reuerend. mi & Ill. mi Prin-
cipis ac Domini D.N. CHRISTIANI, electi Episcopi
Mindensium, Ducis Brunswicensium & Lunæburgen-
sium Consiliario & in Areopago imperij Ad-
vocato, auunculo & Mæcenati suo
æternum venerando,
S. D.

Pridem est, vir nobilissime & consultissime,
quod plurimis & maximis meritis me tibi
totum devinxeris: non tantum enim statim cum
aliquid indolis in me deprehendisses me aquè ut
opt. parens meus cura cordiq; Tibi esse passus es
nihilq; tibi antiquius fuit, quam ut a pueritia
animus meus optimis litteris excolleretur sed &
deinceps, quum in hanc venissim academiam, i-
ta me & re & consilio inuisti, animumq; precla-
ris monitis incendisti, ut incredibili optimarum
artium ardeam cupiditate. Tanta autem est
horum beneficiorum magnitudo, ut te, quem
natura mihi auunculum esse voluit, ego meri-
tissimò tanquam parentem colam & venerer.
Cumq;

XX. DE MONTE

Cumqz hoc agere me omnino deceat ne spe de me
ate & parente car.^{mo} conceptam frustra habe-
am, quantusqz sum enitar, ut cùm illi tum Tibi
industriam meam contrà probem, meqz ita com-
parem, ne collatorum in me beneficiorum pani-
tere utrumqz possit, id consequi ita me posse puto,
si nihil quod ad omnem praeclaram eruditionem
viam sternet pratermittam & indies multa-
rum rerum cognitione animum impendio ma-
gis, quod in me est, augeam. Quare nec studiis
sum deditus qua nouatores & homines male fe-
riati incautis pro vera doctrina obtrudunt, sed
optimis philosophiae praeceptis & literis eleganti-
bus omne tempus hactenus tribuo, quas tu sine
exemplo excoluisti. Quia in re hoc alacriorem
me esse oportet quo meliores natus sum in hoc
genere duces, academia huius doctores, viros in
omnieruditionis genere excellentissimos. Diu
autem cogitavi qua ratione tibi studiorum meo-
rum rationem redderem, & aliquo modo ani-
mum gratum declararem, sed hactenus com-
moditas nulla fuit. Non debui tamen id differ-
re tandem, ne aut negligentia suspicionem aut
ingrati animi crimen incurrerem. Quapro-
pter

pter hanc disceptationem conscripsi, tamqz cui-
cuimodi est Tibi nunc obferre Tuogz nomini
inscribere volui, ut vel hoc pacto testatum fa-
cerem me meritorum ac beneficiorum in me
Tuorum immemorem nec nunc esse neqz un-
quāfore: Quod si Tu, auuncule meritiſime, hoc
et reliqua mea studia benevolentia Tua proſe-
qui ac prouehere porrò dignaberis, id dabo ope-
ram ut his maiora Teqz digniora aliquando Ti-
bi conſecrem. Vale. Helmſtadi idib. Maiis
Anno cIɔ Iɔ cXX.

Excell. & T. *

obs. mss

Ericus Georgius Hedeman.



THE

THESES I.



Si omnes homines naturâ scire desiderant, ut dicit Arist. i. *Metaph.* c. i. ea tamen est intellectus nostri imbecillitas, ut nisi naturalis eius facultas aliquo subsidio iuuetur veritatem in obscuro positam in lucem protrahere nequeat, sed sàpè in eius inquisitione oppidò fallatur. Nec enim usu venit in intellectu quod in sensibus: illi quamprimum feruntur in obiectum suum nullo negotio statim id percipiunt, intellectus vero rerum quæ ipsi obiciuntur veritatem plerumq; non nisi per discursum demum cognoscit, imò in hoc ipso etiam sàpissimè aberrat.

II. Sanè in primis cognitionis nostræ principijs fieri id videmus, ut statim intellectis terminis de veritate eorum nobis constet. Quod si & in cæteris rebus accideret nihil discursu opus esset, nedum disciplina quæ discursum regeret.

III. Sed quia paucissimæ res tantam euidentiam habent, noluit natura in nos tam esse iniqua, vt omnem veritatem nobis inuidet, sed præter cæteras duas mentis operationes, videlicet simplicium apprehensionem & eorum compositionem, hanc tertiam nobis dedit, quæ agnotum cum aliquo iam ante noto disponeremus & compararemus, itaque ex veritate iam manifesta etiam abditam elicemus.

IV. Hic discursus potissimum absoluuntur syllogismo:

A

vnde

vnde & syllogismum finem Logicæ internum vocant, quia ad eum omnia instrumenta logica collineant. Nisi enim hic recte se habeat & arte ac disciplina iuuetur, tantum abest ut veritatem quis deprehendat in re vlla obscura & difficiili, ut etiam pro veris falsissima sibi obtrudi facile patiatur. Quod ijs hodie contingere videmus qui saepè vt in densis tenebris palpant cum de rebus magni momenti disputatur, ideo quod rectum argumentandi modum accuratè nunquam didicerunt.

V. Diximus discursum omnem potissimum fieri per syllogismum: et si enim etiam Inductio & Expositio instrumenta sunt veritatem in dagandi, tamen quia Inductio è sensu notis procedit, & difficultatem non haberet, nec discursus ita propriè dicitur, nec ad artem adeo spectat; hæc enim ea curat quæ difficultia sunt. Expositio autem et si itidem procedit ex sensu notis, tamen quia ad modum syllogismorum fit eò referri potest.

VI. Est vero *syllogismus*, vt eum definit Arist. λόγος seu ratio in qua ponit quibusdam diuersum quid à positis ex necessitate accidit eò quod illa posita sunt.

VII. Per rationem hic intelligit nihil aliud quam rationationem, in qua quibusdam, videlicet duabus propositionibus, ex tribus distinctis terminis constantibus, positis, id est legitime iuxta figuram & modum collocatis, inferitur conclusio, puta propter præmissas illas siue vi earum, ita ut aliud sequi nequeat.

VIII. Vnde id constat duas esse partes essentiales syllogismi, *Formam* & *Materiam*, quas qui confundit cœlū terræ miscet: tam enim sunt diuersæ ut altera ad alterius naturam nihil faciat, cum inuenias syllogismum formâ constantem optimâ, laborantem tamen à materia, & vice versa syllogismum, ubi non peccet materia, forma tamen siue virtuosissima.

g. For-

IX. *Forma quæ vulgo consequentia dicitur nihil est aliud quam ipsa ratio illa colligendi & inferendi unum ex alio, & ita dicitur non ad modum formarum naturalium: in rebus enim naturalibus forma semper est aliquid proprium certæ rei ut materia aliquid plurib. commune, sed ad modum formarum artificialium; in rebus namq; artificialibus una & eadem forma introduci in diuersas materias potest.*

X. *Per materiam autem syllogismi non intelligitur id de quo syllogismus est siue res ipsa; in Logicis enim res non traduntur, sed aliqua adfinitas siue cognatio præmissarum cum conclusione.*

XI. *Forma vero primò omnium est examinanda: nisi enim de ea tibi constet ineptissimè ad materiam respondebis: deinde in materiam inquirendum. Si forma est vitiosa neganda est consequentia, & ostendendum conclusionem deduci ex ijs præmissis ex quibus non sequitur. Si peccat materia, respondendum est aut distinguendo aut negando maiorem vel minorem, quorum quid & quando faciendum sit ita disces, si obseruaris quo medio & ex quibus principijs aliquid concludatur, domesti- cis an alienis, proprijs an communibus &c.*

XII. *Quod si autem & ratio consequentiæ siue Forma fuerit bona, & materia itidem vera, fieri non potest quin conclusio etiam sequatur verissima. Si enim vt ex falsis præmissis bona formâ inferri potest vera conclusio, ita etiam ex veris præmissis bona formâ falsa colligetur, nulla ratio argumentandi certitudinis aliquid haberet. Sed hæc indubitate est regula quæ nunquam fallit: Ex veris præmissis bona formâ semper sequi verissimam conclusionem.*

XIII. *Cæterum sicut in quois argumento inquirendum*

dum primò est in formā eius & post in materiam, ita etiam consideratio formæ in Logicis necessario est præmittenda tractationi materiæ, cum forma absque materia bene intelligi possit, sed nunquam materia sine forma. Nos hac disputatione breuiter de forma tantùm agemus, tam quæ est absolutorum & simplicium syllogismorum quam quæ modalium & hypotheticorum.

XIV. Quemadmodum autem antè distinximus syllogismum in duas partes essentiales formam & materiam: ita porrò distingui potest etiam in duas partes integrantes, præmissas quæ sunt duæ priores propositiones in syllogismo & conclusionem quæ est ultima enunciatio ex illis duabus elicita. Præmissæ verò rursus ita distinguuntur, ut illa quæ prædicatum conclusionis continet *Maior*, illa vero quæ subiectum *Minor* dicatur.

XV. Tot debere esse in syllogismo propositiones sic ostenditur. Discursus noster ita se habet ut nunquam temerè ad ratiocinandum accedam^o, sed semper proposita certa aliqua quæstione, cuius veritatem syllogismo colligere volumus. Quæstio autem omnis duobus constat terminis subiecto & prædicato, quorum ille in syllogismo minus extreum, hic maius constituit.

XVI. Quando igitur quæstionis eiusmodi dubia veritas quaeritur erui ea aliter non potest, nisi aliquis tertius terminus accedat (nam nihil sibi ipsi fidem facit) qui vel tam cum subiecto quam prædicato conclusionis conveniat eademq; inter se conuenire ostendat, vel cum uno extremorum conueniens ab altero verò dissidens ipsa extrema etiam à se inuicem dissidere ostendat. Hic vulgo terminus medius dicitur.

XVII. Vnde primò id constat omnem nostrum discursum tribus absolui terminis non pluribus nec pauciori-

ōribus, quorum duo sint partes quæstiones dubiæ & , ut
dixi, vocentur extrema, tertius autem causa sit quare ex-
rema illa vel adfirmando coniungantur, vel negando à se
inuicem separantur.

XIX. Hic autem tertius vel medius terminus coniun-
ctus prædicato quæstionis facit propositionem mai-
orem, subiecto, minorem: ex quibus deinde concluditur
ipsa quæstio, quæ tunc mutato nomine conclusio dicitur.
Vnde porro id iam patet in omni legitima & perfecta
consequentia tres propositiones requiri, quod proban-
dum erat. Vbi adhuc nota primò, terminorum illorum
quemq; bis ponii in syllogismo: absq; hoc enim si sit nec
tres propositiones esse in eo possint. Secundo nota & hoc,
extremum illud quod fit prædicatum in conclusione vo-
cari maiorem terminum & alterum quod est subiectum
dici minorem. Tertio obserua medium terminum bis po-
ni ante conclusionem, cæteros semel ante & semel in con-
clusionem.

XIX. Hactenus ostendimus quomodo fiat syllogis-
mus: dicamus nunc de certitudine syllogisticæ illationis
amplius. Proficietur autem hæc omnis ex principijs
natura notis, quæ ipse Deus Opt. Maximus menti huma-
næ indidit, è quibus homines etiam rudes, absq; vlla logi-
cæ cognitione, argumentationes suas hauriunt. Est ve-
ro in implicibus syllogismis Dictum de omni & Dictum
de nullo, ut vocant, quorum prius fundamentum est o-
mnium syllogismorum adfirmantium posterius omnium
negantium; in hypotheticis vero vel eadem Dicta quate-
nus illi ad categoricos reduci possunt, vel aliquod simile
& quæ natura notum principium.

X X. *Dictum de omni* est quando nihil licet sumere
subiecti de quo alterum non dicatur, siue quando nihil

A 3 potest

potest sumi sub subiecto, de quo non enuntietur prædicatum. *De nullo* quando nihil est sumere subiecti de quo alterum non remoueatur siue quando prædicatum ita remouetur à subiecto vt nihil subiectum suo comple-xu contineat quin illud prædicatum ab eodem remoueatur.

XXI. Hæc principia non sunt, vt quidam falsè arbitrantur, propositiones tantum vniuersales in quibus bini termini alter de altero vniuersè prædicantur: (aliás enim tantum attributionis prædicati ad subiectum esset habenda ratio non subsumptionis, quod tamen fieri oportet) sed sunt integræ syllogismi tribus constantes propositionibus.

XXII. Est autem istorum principiorum tanta euidentia & certitudo vt ijs quiuis mortaliū qui ratione vtitur ad sensum præbere cogatur: quam certum enim est, omne totum esse maius sua parte, bis duo esse quatuor &c. tam certa etiam est veritas utriusq; dicti, cum æquè hoc natura doceat atque veritatem illorum, vt deprehendit quicunq; intelligit quid dicta illa sibi velint.

XXIII. Inueniuntur verò in quibusdam syllogismis actu in quibusdam potentia: vnde illos perfectos appellare solent, quod discursus naturalis in illis sit evidens, hos vero imperfectos, quod istorum consecutio non sit tam evidens & manifesta. Ita patet quodnam sit fundatum bonæ consequentiæ.

XXIV. Cæterum distinguitur in tres figuræ, cuius diuersitatis caussa est situs medij termini diuersus: *Figura* enim nihil aliud est quam medij termini cum extremis certa dispositio. Quot modis itaque variatur medij termini dispositio tot nascuntur figuræ. Illa autem dispositio triplici ratione variari potest ita vt naturaliter ali-quid

quid concludatur: aut enim medio loco ponitur inter v-
trumque extreum, id est, subiectum est in maiore
& praedicatum in minore & efficit primam figuram, aut
praedicatur de utroque extremo in præmissis, & facit se-
cundam figuram, aut deniq; subiectur utriusque extremo
in præmissis & conficit tertiam figuram.

XXV. Tres, inquam, sunt figuræ, quæ quidem natu-
raliter, ut dictum, concludant: nam quarta, quæ Galeno
tribuit ab Auerroe, ideo recte rejicitur à Logicis quod
artificialis potius quam naturalis ratio concludendi in ea
occurrat.

XXVI. Habent autem syllogismi primæ figuræ Di-
ctum de omni & nullo a stū, cæteri tantum potentia, vnde
& hi opus habent reductione ad primam ut necessitas
consequentiæ in ijs per consequentiam primæ figuræ o-
stendatur: hæc enim est euidentissima quia plane eadem
est cum consequentijs Dictorum. Tale quid dicuntur si-
guræ syllogismorum.

XXVII. Præterhas vero diligenter attendendi sunt
modi in quos figuræ illæ rursus distribuuntur: nihil autem
aliud dicunt illi quam diuersam rationem quid inferendi
vel vniuersaliter vel particulariter & vel adfirmatiue vel
negatiue, & oriuntur ex qualitate & quantitate propositionum
diuersa in una & eadem figura diversi.

XXIX. Sed dicamus de figuris iam sigillatim. **De**
prima sciendum est eam semper habere Maiorem pro-
positionem vniuersalem & Minorem adffirmantem. Vni-
uersalis esse debet maior: id enim demum est dici aliquid
de omni aut nullo: affirmans minor, quia id est contineri
in vel sub alio: in negante enim subiectum sub praedicato
non continetur. Vnde hæc fig. I V. modos habet.

XXIX. Verum hic cum primis obseruandum est, ne eam
pro

pro negante habeas quæ negans revera sæpè non est sed infinita: quoties enim Maior propositio in hac figura subiectum habet infinitum particula negans repetita in prædicato Minoris hanc non negantem sed infinitam tantum facit.

XXX. Quare autem Minor ista pro affirmante habenda sit ratio hæc est, quod particula illa negans tum non pertinet ad copulam sed est pars termini: quando autem pars termini est propositionem negantem non reddit ut ex doctrina enunciationum constat.

XXXI. Esse porrò particulam negantem in eiusmodi Minore partem termini, inde probatur, quod in dispositione primæ figuræ quale est subiectum Maioris tale est etiam prædicatum Minoris, subiectum autem maioris est infinitum. Non potest itaq; non & prædicatum Minoris esse infinitum, adeoq; & propositio illa adfirmans, si noua negatio non accedat. Omne autem hoc fit propter respectum Minoris illius ad maiorem, absq; quo si foret utiq; negans esset: neq; nouum est propter respectum enunciationis vnius ad alteram accidentia enunciationis immutari, ut itidem ex doctrina enunciationum disci potest. Hæc est prima figura.

XXXII. Secunda est, vt diximus, in qua medius terminus prædicatur in vtraq; præmissarum. Maior hic itidem ligata est in quantitate: semper enim esse debet vniuersalis, cum aliæ syllogismi eius ad primam figuram reduci non possint, & sæpe ex veris præmissis falsissimum concludant. Deinde fiunt tantum hic syllogismi negantes, idq; eadem de causa. Nota autem hic quum subiectum Maioris est infinitum ut integrum illud in conclusione repetatur; namq; & hac in re facile labi quis potest. Habet hæc fig. itidem IV. modos.

33. Ter-

XXXIII. *Tertia figura est in qua medius terminus in utraq; præmissarum subiicitur. Hæc semper concludit particulariter, & minorem habet ligatam in qualitate: semper enim adfirmans est, ut & minor primæ. Hæc sunt tres illæ figuræ.*

XXXIV. *Subiungit Aristoteles tertiaæ figuræ syllogismum Expositorium, ut vulgò vocant, siue Expositionem. Sed hæc propriè non est syllogismus, quia ex sensu notis procedit: syllogismum tamen imitatur & eò referri potest, ut supra diximus. Est autem probatio cuius medium in utraq; præmissum est terminus singularis siue individuum.*

XXXV. *Vbi sciendum est Expositiones tantum fieri in tertia figura non in cæteris. Causa est quia medium in prima semel, in secunda bis prædicatur: vnde nugatio tantum oritur; nisi pro medio singulari terminum, ut nunc multi faciunt, vniuersalem substituas; sed tum non est vera Expositio. Haec tenus de figuris.*

XXXVI. *Cæterum dictum est superius evidentiam syllogismorum secundæ & tertiaæ figuræ ostendi per reductionem ad primam. Reductio verò est duplex ostensiva & per absurdum siue impossibile. Ostensiva est quando vel sola conuersione vel conuersione & transpositione præmissarum eadem conclusio vel certè eius conuertens infertur in prima quæ antea inferebatur in secunda aut tertia. Conuersio fit propter positum mediij, transpositio propter qualitatem propositionum. Reductio ad impossibile est quando aduersario concedenti præmissas veras esse, sed falsam tamen conclusionem quæ ex ijs elicetur (hoc enim est formam culpare) ostendo per syllogismum primæ figuræ, si falsa sit conclusio etiam falsam esse vnam præmissarum, idq; ita facio ut contradictoriam conclusionis coniungam cum altera præmissarum & concludam contradictoriam alterius.*

B

37. Sed

XXXVII. Sed reductio ostensiā multò est expeditior & cūdientior, quām quæ sit ad impossibile: & quamquam veteres modum Baroco in secunda & Bocardo in tertia ostensiē reducere non posseunt, recte tamen & hi reducuntur adhibita conuersione per contrāpositionem.

XXXIX. Hucusq; forma syllogismorum absolutorum fuit, sequitur forma modalium: cum enim modi illi necessarii, contingit, possibile, impossibile est diuersas faciant enunciationes, fieri nequit, quin in syllogismis vbi hi modi occurruunt alia etiam sit ratio, licet ipsa principia concludendi quæ in absolutis locū habent hic non mutentur.

XXXIX. Nota autem syllogismos modales alios esse mixtos ex propositionibus modalibus & de inesse, alios constare ex puris modalibus. Qui ex puris modalibus constant hi vicissim vel habent vnum & eundem modum in omnibus propositionibus & dicuntur syllogismi ex puris necessarijs, contingentibus &c. vel commistas habent propositiones diuersorum modorum.

XL. Ex puris necessarijs tam in prima quam secunda figura sequitur conclusio necessaria. Aristoteles vult id fieri etiam in tertia, sed ibi alia est ratio: nisi enim necessariam adfirmantem semper conuertere velis in necessariam cum Aristotele, reduci tales syllogismi ad primam non possunt. Ex puris autem contingentibus & possibilibus nihil concluditur in illa figura, sicut nec ex impossibilibus nisi quatenus & qui pollent necessarijs.

XLI. Quum sit mixtio ex modalibus diuersorum modorum, sicut etiam cum miscentur modales & absolute nibil certi concluditur si recentioribus credimus: nec enim maiore necessaria & minore contingente semper sequitur conclusio necessaria, aut vice versa, maiore contingente & minore necessaria conclusio contingens, nec ma-

bis. *aut in la maiore et in la minore*

iore de inesse & minore necessaria aut maiore necessaria
& minore de inesse conclusio necessaria, nec deniq; maio-
re contingent. & minore de inesse conclusio contin-
gens, vt in promtu exempla sunt quibus hoc ostendatur.

XLII. Ita se habent consequentiae modalium: de qui-
bus duo nota, vnum est recentiores in hac doctrina mul-
tum recedere ab Aristotele, neq; id immerito in plerisq;
et si nec omnia adeo recte forte se habent, cum saepe con-
clusionem in sensu diuiso veram illi tanquam absurdam
reijciant propterea quod sensu composito vera non est.
Alterum est, totam doctrinam syllogismorum modalium,
vt nunc vulgo tractatur, ostendere potius quid non sequar-
tur quam quid sequatur. Nec potest ferè certi aliquid
constitui nisi modales propositiones omnes reducas ad
absolutas, quod non infeliciter peculiari tractatu ab ho-
mene doctiss. nupertentatum est. Tantum de modalibus.

XLIII. Syllogismi hypothetici (accipimus enim vo-
cabulum hypothetici nunc latè) sunt in quibus vna vel o-
mnes propositiones sunt enunciationes coniunctæ. Eo-
rum triplex est differentia pro totuplici genere coniun-
ctarum enunciationum, hypothetici propriè dicti, copu-
lativi & disiunctivi. Forma eorum non paulo alia est
atq; simplicium syllogismorum, & quanquam interdum
reuocari ad formam categoricorum & inde examinari
potest, non tamen id in omnibus fit, neq; necessum est,
præsertim in disiunctiis, quorum fundamentum præci-
puum est partium disiunctiæ propositionis vera & legi-
tima oppositio.

XLIV. Conditionales siue hypothetici propriè dicti
sunt quando maior propositio vel omnes propositiones
sunt hypotheticæ. Duæ hic figuræ occurunt: vel enim
ponitur antecedens ut ponatur consequens, vel remoue-

tur

tur consequens ut remoueatur etiam antecedens. Vtraq;
deinde figura quatuor modos habet , pro' quadruplici
variatione qualitatis in antecedente vel consequente.

XLV. *Copulari* sunt qui maiorem propositionem
habent copulatiuam. Concludunt tantum negatiuè &
rarissimè occurunt.

XLVI. *Disiuncti* sunt qui maiorem habent
disiunctiuam. Vbi iterum duæ sunt figuræ : vel enim
ponitur vna pars ut tollatur altera, vel tollitur vna ut po-
natur altera. Vtriusq; tres vulgò enumerantur modi.
Hæc est forma syllogismorum quæ quidem perfecta est.
Sunt & aliæ argumentationes sed imperfectæ. Ita *En-*
thymema est syllogismus cui vna' præmissarum deest, *So-*
rites autem confusio plurium syllogismorum. Dico es-
se imperfectas argumentationes, quia nec *enthymema*
nauci est nisi quatenus integer inde fieri syllogismus po-
test, nam alias est tantum argumentatio rhetorica ut Arist.
uocat: *Sorites* autem plane nullum in veritatis inuestiga-
tione momentum habet. Referuntur huc etiam *Exem-*
plum & *Dilemma*, sed Exemplum probatio itidem Rhe-
tonica tantum est & *Dilemma* syllogismus quidam disiun-
ctiuus qui ex accidenti quodam, puta quod vtrinq;
capit aduersarium , peculiare nomen inuenit.

Tantum de formis argumen-



F I N I S.

94 A 7363



9d.

Vdp




visibile voluit ex uirgine sumere: co-
grue debuit corporali spe apparet
formauit autem angelus corp
sibi lucidum: quod scdm aug⁹ facie
rutilans et ueste choruscis v
irgini apparuit Conueniet vero
virgini annuntiatum incarnatione ubi:
ut scilicet p̄us ipsum recipiat me-
te quam carne **I**rrutans ergo
angelus nomine eue. dicit uirgo
aue: indicans eam ab omni ve-
beram **Quia benum gratia plena di-**
citur: quod aliis ad measuram gratia
datur: hec autem sola gracia
quam nulla alia meruerant se
cuta est: ut gracie impleretur
auctore **Quia cum gratia plena sit.**
p̄us eam quam recipiat: postcep-
tionem quam dei habundat gratia
quis cogitare possit: **Unū iecomi⁹**
Et benum plena: quod ceteris per pres-
stantur gratia: maius uero simil
se totum infudit gratia plenitudo:
beata gratia plena: per quam largo spirito
umbre perfusa est omnis
creatura **Quia celis dedit glorias.**
terris deum pacem refudit: fidem
gentibus. fine uicibus: vite ordinem.
moibus disciplinam **Dicitur**
quod ei dominus tecum. scilicet sit in uite
tu. quod tecum est in aio: adiplent
uentrum. qui adimplerent mentem.

per si tota salutatio ageretur in sur-
virgini gloriosissimam: ista tamen clausula
domini tecum potissimum eam delitatur
ideo singulari denocē dicitur ea esse
licet enim iam eam in virgine: nonum
tamen misit misericordiam: quod modo singulari vo-
luit esse secundum **C**hec etiam sola pre-
omnibus mulieribus et super omnes mu-
lieres benedicta predicitur Cumque
mulier subiacet maledictioni da-
vul legis: nam corrupta subiicit ma-
ledictioni dei quod ait In dolo veni-
es: ergo maledictioni legis in quo
erat maledictum sterilis? sed innin-
uimus maledictum vitium: male-
dictum dei. quod ergo permanens: male-
dictum legis: quod filium habuit Unde
ipsa primiceria virginitatem dum primi-
virginitatem suam deobtulit. male-
dictum legis abolevit: et mito benedic-
tione liberavit **I**Et nomen eius
quod super haec salutationem nunc ho-
mo puerum valebit: nec aliis
excellenter dulcis et gratia beatissima
virgine salutare poterit: quam in sa-
lutationem quam ipse deus predicitur
et per angelum ei destinavit In quo
ubiq̄ singulis dulcis illa implo-
tur mysteria. **N**on deus per com-
sua omnipotencia confirmavit
estet iniurias ab omni uer-
itate. **M**ultas que sibi

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



42
TIO LOGICA
MA AR-
ATIONVM
ISMORVM TAM
mplicium quām mo-
pothicorum,
AM
OPT. MAXIMO
RAESIDIO
ui viri Dn.
DI HORNEII,
alis in incluta acade-
fforis publici, præ-
ernūm honorandi,
blicē
ndam proponie
RGIVS HEDEMAN.
d. III. K. Iun.
AESTADI,
IACOBI LUCI.
M. DC. XX.